

minata, quæ attingit guttur: tamen illa attingentia non sufficit, quia nondum est sensibilis, nec designabilis et consequenter neque sacramentalis. Requiritur autem ad dandam gratiam, quod sumptio sacramentalis sit; et cum in qualibet parte sit totus Christus, ideo qualibet parte attingente guttur, verificatur, quod totus Christus manducatur, quod in aliis cibis materialibus verificari non potest; quod si aliquis tantam habeat difficultatem in trajiciendo species, quod neque etiam illam minimam partem gutturis possit attingere, carebit effectu sacramenti, quia revera non manducavit: sed quid si ille qui incepit trajicere species, et per aliquam partem determinatam trajecit, evomat hostiam, habebitne effectum sacramenti, an carebit illo, si quidem videtur non manducasse.

XIX. Respondetur eandem esse difficultatem si quis usque ad stomachum trajecit species et evomuit. Dicimus enim, quod in utroque casu verificatur quod manducavit, et consequenter habet effectum sacramenti, quia effectus illius non dependet nisi ex manducatione, non ex digestionem cibi, sicut alimentum corporale: vomitus autem non opponitur manducationi, sed potius supponit, licet impediatur digestionem. Unde non est simile de cibo corporali, et de sacramentali, quia cibus corporalis habet effectum nutriendi mediante digestionem, et ita requiritur quod pervenerit cibus ad stomachum, ubi solum fit digestio: cibus autem sacramentalis non operatur mediante digestionem, ideoque non requiritur quod pervenerit ad stomachum, sed mediante sumptionem, dummodo sit sensibilis et sacramentalis; tunc enim causabit effectum juxta dispositionem sumentis; vel si tunc non habuerit dispositionem, carebit effectu propter

obicem. Nec obstat quod hoc sacramentum sit permanens, et sic poterit dare effectum toto tempore quod durat. Dicimus enim, quod licet hoc sacramentum in se sit permanens, tamen effectum suum præstat mediante sumptionem, et hæc fit per modum, et in instanti extrinseco consummatur.

XX. Contra conclusiones dictas vix sunt difficultates aliquæ. Nam licet multæ auctoritates sanctorum referri soleant ad probandum hoc sacramentum dare primam gratiam, et remissionem peccatorum, dico quod auctoritates, quæ dicunt hoc sacramentum dare vitam, loquuntur de vita per modum cibationis et nutrimenti, quæ primam gratiam supponit: si autem dicunt hoc sacramentum liberare a peccato, et remittere peccatum, vel intelliguntur de peccato veniali, vel de præservatione a mortalibus; vel quod aliquando hoc sacramentum dat primam gratiam per accidens, ut sequenti articulo dicemus.

XXI. Circa remissionem venialium restat difficultas, an sacramentum hoc remittat illa excitando fervorem charitatis, an etiam sine tali excitationem. Videtur enim S. Thomas in articulo quarto utrumque ponere, et quod ratione excitationis charitatis tollat peccata venialia, et quod ratione cibationis per gratiam, quatenus proprium est cibi restaurare id quod quotidie deperditur. Et videtur difficile, quomodo peccatum veniale remittatur sine aliquo exercitio vel actu charitatis, cum peccatum veniale non opponatur ipsi habitui, sed actui seu fervori charitatis.

XXII. Sed respondetur semper intervenire in remissione venialium aliquem motum, seu actum tendentiæ in Deum, sed non semper esse formalem actum charitatis. Itaque per actum charitatis suffi-

cienter remittuntur peccata venialia sine aliquo sacramento, vel sacramentali, et solum ex opere operantis, quia fervor seu actus charitatis est id cui opponitur peccatum veniale; si autem non sit motus seu actus charitatis, sed motus aliquis reverentiæ erga Deum, saltem virtualiter, sicut est actus fidei, vel ille actus quo quis vult, aut voluit suscipere sacramentum, vel rebus sacris uti, talis motus per se solum non est sufficiens remittere peccatum veniale, est tamen sufficiens ut adjuncto sacramento, vel aliquo sacramentali (sicut est aqua benedicta, et aliis similibus) remittatur peccatum veniale ex opere operato, etiamsi actu non habeat fervorem charitatis. Et ita hoc sacramentum, cum de se sit nutritivum charitatis, speciali modo habet remittere peccata venialia ex opere operato, et si fervorem charitatis non excitet; supponendo tamen aliquem actum, seu affectum, quo quis voluit accedere ad sacramentum; quod est virtualis fervor, et sufficit ut adjuncto sacramento possit remitti peccatum veniale.

ARTICULUS II.

Utrum per accidens possit hoc sacramentum aliquando conferre primam gratiam?

I. Negant plures auctores, ut S. Bonaventura, Gabriel, Major, Gerson, et alii, quos citat et sequitur pater Vazquez hic disp. cv. Et capite quarto fundamentum est, quia neque ex institutionem suam, neque ex ipsa natura et formali rationem hujus sacramenti, neque ex declarationem Ecclesiæ, aut traditionem patrum constat hoc sacramentum dare aliquando primam gratiam: ergo nullo modo

id asserendum est. Consequentia patet, quia cum sacramenta pendent ex institutionem Christi, non potest colligi quod operentur nisi aliquo ex dictis principiis. Antecedens vero probatur, quia in primis ex institutionem hujus sacramenti, et ex ejus natura id non colligitur, quia tota efficacia sacramenti ad aliquem effectum derivatur ex ejus significationem; at vero significatio hujus sacramenti nullo modo (etiam per accidens) ducit in remissionem peccati mortalis, si quidem ejus significatio solum est per modum cibi et potus; cibus autem et potus sunt ad recreationem viventium, non ad suscitationem mortui, quia mortuus manducare non potest. Unde formatur ratio, quia nulla causa potest (etiam per accidens) excedere suam rationem formalem operandi; formalis autem ratio operandi in hoc sacramento est per modum cibi et alimenti seu augmenti gratiæ; ergo nunquam potest extendi addandam primam gratiam, quia tunc non operaretur ut cibus.

II. Ex traditionem vero patrum non constat hunc effectum habere, quia vel dicunt generaliter valere contra peccata, et intelligi possunt de venialibus; vel specialiter dicunt valere contra mortalia, et intelligi possunt valere per modum præservationis, non per modum remissionis; nunquam enim dicunt peccatum mortale remittere, aut si id dicunt, ita absolute id docent, quod non in solo aliquo casu, et per accidens dicant ad id valere, sed absolute et simpliciter; quod opposita sententia etiam tenetur explicare, et non admittere. Denique Scriptura in institutionem hujus sacramenti potius requirit hominem esse in gratia, cum dicit I Corinth. xi: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat*; ergo sumptio hujus sacramenti non ordinatur usquam a

Scriptura ad remissionem mortalis, sed supponit illud remissum; nec assignari potest quam dispositionem prærequirat ad istum effectum. Si enim requirit contritionem, supponit remissum peccatum, non tollit; si attritionem, sine fundamento id dicitur, quia non constat pro aliquo casu eam sufficere.

III. Oppositam sententiam tenet S. Thomas in hæc quæstione articulo III, ubi dicit: « Quod potest hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primo justificatur a peccato; alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus, tamen devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, et remissionem peccati. » Videri etiam potest S. Thomas in IV, dist. IX, quæst. I, art. III, quæst. II, et dist. XI, quæst. I, art. III. Idem sentit Scotus dist. IV, quæstione unica, et communiter sequuntur Thomistæ. Et citantur etiam pro hac sententia Paludanus, Richardus, Sylvester, S. Antoninus, Bellarminus et alii, quos citat et sequitur Suarez hic disput. LXIII, sect. I, conclusione tertia.

IV. Fundamentum hujus conclusionis est ex opposito prioris, quia licet directe et per se significatio propria hujus sacramenti sit gratiæ cibantis, tamen etiam significatio ejus non habet repugnantiam, sed congruentiam cum remissione peccati mortalis, et habet sufficientem vim ad influendam istam remissionem, et primam gratiam: et testimonia patrum valde in hoc inclinant, estque magis pium, et in consolationem fidelium cedens: ergo non est cur negetur. Consequentia est manifesta (hæc enim omnia

magnam probabilitatem inducunt) ergo non est negandum. Antecedens probatur, nam ex parte institutionis sacramenti Christus instituit illud in repræsentationem passionis suæ, etiam ut remissa est peccatorum, si quidem id expressit in consecratione calicis, ut constat Matthæi XXVI: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*: qua forma etiam utitur Ecclesia. Cum ergo tota significatio sacramenti desumatur ex forma, et in ea exprimat sanguis ut effusus in remissionem peccatorum, non repugnat ex vi hujus significationis habere vim remittendi illa: et sic pro aliquo casu debet remittere. Similiter Christus Dominus explicans universalem virtutem hujus sacramenti in omnes effectus aliorum, dixit Joan. VI: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quæ verba supra extendimus ad omnes effectus (etiam dandi primam gratiam) quatenus hoc sacramentum habet esse finis omnium sacramentorum: ergo non repugnat ex tali institutione habere vim ad remittendum aliquando peccatum (saltem per accidens) quia habet eminenter vim aliorum sacramentorum.

V. Quod vero ex traditione patrum idem sit dicendum probatur, quia verba patrum id in sensu proprio significant, et alias Ecclesiæ et Conciliorum sensus huic non repugnat. Vide S. Justinum martyrem in quæstionibus ad gentes, responsione ad quartam, ubi loquens de sumptione carnis dominicæ in hoc sacramento: « Carbo, inquit, quem propheta vidit immundis suis labiis adherentem, ad iniquitatum peccatorumque expiationum, figuram habebat dominicæ carnis quæ conscientiam eorum qui ipsam edunt ab omni scelere expiat. » Cui loco non in-

venit Vazquez quid responderet, nisi Justinum non loqui de sumptione carnis Christi in eucharistia, sed quatenus per fidem creditur. Sed vim faciunt verba Justini, cum paulo ante dicat: « Quod illa visione Isaïæ mysterium Christi enuntiabatur, qui in solio gloriæ sedet, esusque sanctæ carnis suæ peccata impiorum scelestorumque hominum expiat. » Esus autem carnis Christi violenter explicatur de actu fidei quo creditur, et sine fundamento excluditur sacramentalis sumptio, si non per seet semper, saltem aliquando.

VI. Item Damascenus libro IV fidei, cap. XIV: « His qui sacramentum hoc per fidem digne suscipiunt, in peccatorum remissionem et vitam æternam, animique et corporis præsidium cedit, omne incommodum propulsat, eamque vim habet, ut spurcitiam omnem abstergat: neque enim in quibus sumus peccatis considerat. » Chrysostomus homilia LXXXIII in Matthæum, comparans hoc sacramentum cum agno paschali: « Si hoc, inquit, remissionem peccatorum facit (sicut certe facit) supervacaneum illud omnino est. » Cyrillus lib. IV in Joannem, cap. XVII: « Pias quæso cogitationes suscipias; studiose sancteque vivas, ut benedictionem participes; quæ, crede, non mortem solam, sed etiam morbos omnes depellit. » Si autem mortem depellit: ergo aliquando id facere potest: licet pias cogitationes requirat, et sancte justeque vivere.

VII. Denique Ecclesia in quadam oratione postulat: « Ut sacramentum sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio peccatorum: » ergo sentit Ecclesia valere inter alia hoc sacramentum ad scelera abluenda. Nec obstat Tridentinum sess. XIII, can. V, ubi definitur:

« Si quis dixerit vel præcipuum fructum hujus sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus provenire, anathema sit: » nam potius Concilium nostram sententiam indicat, dum definit remissionem non esse præcipuum effectum: ergo minus præcipuus potest esse.

VIII. Oppones: Ex his testimoniis colligi per se esse effectum hujus sacramenti remissionem peccati; tum, quia patres indefinite loquuntur, et sine ulla distinctione, nec pro aliquo casu, et per accidens, nos autem solum intendimus, quod per accidens, et pro aliquo casu habeat tunc effectum; tum, quia in forma consecrationis calicis absolute significat effundi sanguinem in remissionem peccatorum: ergo si ex illis verbis aliquod argumentum trahimus, concludemus quod non solum per accidens, sed per se hoc sacramentum habet hunc effectum.

IX. Respondetur nos istas auctoritates præcipue adducere, ut constet hoc sacramentum habere hanc vim, ut possit saltem aliquando hunc effectum habere, nec sibi repugnare ex ipsa sua institutione et significatione: et hanc non repugnantiam ostendunt efficaciter testimonia allata. Quod vero de facto hunc effectum per se et directe habeat non ostendunt, quia obstat aliunde ipsa Scriptura postulans pro dispositione necessaria ad hoc sacramentum, quod prius homo probet se ipsum, et sic de pane illo edat, quæ probatio debet esse mediante confessione, ut Ecclesia declaravit; et quia hoc sacramentum per se institutum est, ut sacramentum cibativum et sacramentum vivorum; et quia Tridentinum definit non esse præcipuum effectum hujus sacramenti remissionem peccati. Unde relinquatur, quod illa

testimonia non debent accipi pro effectu præcipuo, sed solum probare, quod ad hoc habet vim et potestatem hoc sacramentum, licet non semper et per se, sed propter suam eminentiam ad omnes effectus gratiæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

X. Ad fundamentum contrariorum patet ex dictis, videmus enim ex Scriptura et institutione sacramenti, et ex traditione patrum constare, quod iste effectus non repugnat huic sacramento, et hoc sufficit nobis: inde enim deducitur efficax argumentum: Non est negandum huic sacramento, ob sui excellentiam, quidquid illi non repugnat ex sua institutione; sed non repugnat dare primam gratiam aliquando, et ad id vim habere, ut prædicta testimonia significant: ergo id non est ei denegandum. Et cum instatur, quod ratio ejus formalis est causare gratiam per modum cibi respondeo, per modum cibi eminenter habentis potestatem unificandi, concedo; non habentis, nego. Licet enim hoc sacramentum ex sua propria ratione præbeat effectum suum per modum cibi, et sic directe et per se loquendo supponat vitam in comedente, non illam præbeat; tamen propter sui eminentiam super omnia sacramenta non repugnat quod sub istamet ratione cibi, ut eminenter continentis vim vivificandi, et dandi primam gratiam, possit illam dare, quia valde congruum est excellentiæ hujus sacramenti, quod sicut propter sui excellentiam est finis omnium sacramentorum, et omnium effectuum gratiæ, ita ob eandem possit in re dare primam gratiam effective, quando alias ex parte dispositionis et modi sumendi

sumitur per modum panis, quia bona fide existimat quis se habere primam gratiam, et esse jam vivificatum, ut statim dicemus.

XI. Ad id vero quod ultimo quaeritur, quam dispositionem requirat hoc sacramentum ut conferat primam gratiam, et quo fundamento respondetur, quod fundamentum sumitur ex natura et proprietatibus hujus sacramenti, et ex requisitis per se ad justificationem. Nam ex ratione justificationis certum est requiri in re affectum contrarium peccato ex motivo supernaturali; et sic ad minus requiritur attritio supernaturalis cum efficaci proposito excludendi affectum peccati, vel saltem quod aliquis confiteatur cum attritione existimata, quæ sufficit ad sacramentum confessionis, postea autem antequam accedat ad sacramentum eucharistiæ habeat attritionem supernaturalem veram, et non solum existimatam; alias non poterit sacramentum hoc operari, quia inveniet obicem in subiecto. Ex parte autem ipsius sacramenti eucharistiæ requiritur, quod iste existimet bona fide se esse contritum, aut saltem quando confessus erat habuisse attritionem, quia semper servanda est propria ratio operandi hujus sacramenti, quantum fieri potest, nempe ut scienter quis non accedat cum peccato mortali; hoc enim esset manducare et bibere indigne, et non cum sufficienti probatione, quæ requiritur de jure divino; et ideo communiter patres requirunt pro accessu digno ad hoc sacramentum, ut sine conscientia peccati mortalis accedatur, et cum innocentia, saltem existimata probabiliter, et humano modo; nam in re nemo potest esse certus an sit in gratia.

XII. Ex quo sequitur, quod si quis invincibiliter existimat se esse contritum, vel confessum cum attritio-

ne, in re tamen non habeat veram attritionem, si suscipiat hoc sacramentum, non recipiet effectum illius, nec primam gratiam, quia in re non habet affectum contrarium peccato: excusari tamen a nova culpa propter ignorantiam invincibilem. Et ideo si quaeratur an sumat digne, vel indigne, respondetur, quod in re accedit indigne, et ideo non recipit fructum; in sua tamen existimatione accedit digne, quia cum ignorantia invincibili sic accedit; et hoc sufficit ut excusetur a nova culpa. Et sic simpliciter dicendum est, quod attritio per se so-

la, et cognita ut talis, non est sufficiens dispositio ad hoc sacramentum; sed cum circumstantia, quod existimetur probabiliter contritio, accipit vim dispositionis, non positive sed negative, id est, non ponendo obicem sacramento, saltem quantum ad effectum eminentialem, qui est prima gratia, quatenus tollit indignitatem sumendi et accedendi ad hoc sacramentum, hoc ipso quod existimatur esse contritio, et digne accedere, et hoc est fieri dispositionem propriam negative, non positive.